

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Venerabili uiro, D.Georgio praeposito ecclesiae Vrsinae, amico suo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

tat longius argumentū: quare has literas boni con-  
sules. Salutem tibi precantur, doct̃or Pontanus, &  
Franciscus Cancellarius principis. Deus ac pater  
Domini nostri Iesu Christi, seruet te & familiam  
tuam. Meos tibi commendo. Francofordiæ, die ter-  
to Martij. Dicas salutem honestissimæ coniugi tuæ  
meis uerbis.

Philippus Melanchthon.

Venerabili uiro, D. Georgio præ-  
posito Ecclesiæ Vrsinæ, ami-  
co suo,

S. D. Dedi ipse domino Pontano uestras lite-  
ras de affine: ac orauī sedulo, ut causam Principi Sa-  
xonie cōmendet. Studiū & diligentiam suam nobis  
promisit, ius sitq; doctorem Lutherum hodie prin-  
cipem ea de re coram alloqui. Dicebatur enim ho-  
die huc uenturus. Scito mihi negocium tuum curæ  
futurum esse. nam & causa pia est: & ubi possum  
Euangelij ministris gratum facere, summa id uo-  
luptate facio. Ex Italia mihi certò scribitur, Caro-  
lum Imperatorem prohibuisse Episcopis Hispani-  
cis, ne in creatione tredecim Cardinalium, quæ nu-  
per facta est, ipsi Cardinaliciã dignitatem sibi con-  
ferri paterentur. Laudo grauitatem Imperatoris,  
qui non uult Episcopis iniici uincula, quibus liber-  
tas in cōsilijs publicis impeditur. Et hi regij tituli  
non

non augent Ecclesiæ dignitatem, sed priuatum factum. Bene Vale. Die x. Aprilis, Anno 45.

Philippus Melancthon.

Eidem.

S. D. Hodie spero allaturum mihi nuncium, quem nisi Torgam, literas de negotio ad finis tui: certe illustrissimus Princeps clementer respondit. sed in tamis occupationibus scribæ tardius mittunt literas. Mibi tamen rem curæ esse scio. De synodo Tridentina fortassis audistis. Misit Romanus Pontifex aliquot Episcopos Tridentum, qui usitatis ceremonijs Synodum inchoarunt. Adfuerunt ibi & adhuc adsunt legati Imperatoris & Regis Ferdinandi, qui publicis orationibus ostenderunt, suos dominos agnoscere hanc synodum tanquam legitimè congregatam: & promiserunt defensionem. Hæc sunt initia. Reliquam historiam postea audiemus. De plagiarijs, qui ex carcere effugerunt, nihil habeo quod scribam. Sed oro Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, auro rem politici ordinis in societate humani generis, ut Germaniæ det pacem: ac politias, quæ sunt honestitia Ecclesiæ Dei, custodiat. Bene uale: Die, quo filius Dei triumphans, spectante Ecclesia ascendit in coelum: ac ostendit, qualem gloriã ater

F 114.7